

05

A

2358





Exercitatio Moralis ² ^{209.}

De

VIRTUTIBUS
HOMILITICIS.

Quam

DIVINO AUSPICIO

In

Almâ Witebergensium Academia

PRÆSIDE

WILHELMO NIGRINO

Moralium Professore Publico.


Publicæ disquisitioni subjicit

LEONHARDUS EMERICUS

Dresda-Misnicus.

Habebitur ad diem 16. Martij Horis Antemeridianis

In Acroaterio Collegii Veteris.



WITTEBERGÆ

Ex Officinâ Typogr. JOHANNIS RÖHNERI,

ANNO MDCXXXVI.

WILHELMUS

HOMINIS

WILHELMUS

EX

EX



Σὺν τῷ Θεῷ.

DISPUTATIO.

De

VIRTUTIBUS HOMI-
LITICIS, VERACITATE,
COMITATE, URBA-
NITATE,

Præloquium.

Sermonem esse mentis notam: Sa-
pientum vetus dictum est. Quando enim cunq;
aliquid vel loquamur, vel dicamus, doctis cum-
primis, & qui sunt naris emuncta: toties profectò
pariter ab illis quoq; æstimamur. Siquidem vel inde Pruden-
tes polliceri cæteris abundè habent, qualis & quantus futu-
rus ille sit, qui eo nimirum præditus ingenio est, ut, quæ secum
rectè ac bene sentit, ea concinnè calleat eloqui atq; politè. Quia
verò ita comparatum nunc est, ut nullius planè sermo honestus
integre atq; decorus dici jure mereatur: nisi quem hic terge-
minus Virtutum Chorus (Veracitas, Comitas, Urbanitas)
assidue ac continenter concomitetur: ceu Germanæ Ipsius &
comites indefesse: meritò & ego putavi necessarium maxime,
indolem Earum atq; naturam diligentius paulò explorare.

A 2

Inpri-

Inprimis cum viderem, tanta certo eas necessitatis esse, ut ab homine ingenio ac liberaliter educato vix queant vel praeteriri penitus, vel temere ad minimum tractari. Et cum Vita addiscendum nobis adprime semper sit, ijs etiam Virtutibus potissimum studendum erit, quae & aetatem decent praecipue, & eam juxta informant. Sic igitur DEO AU-
SPICE,

THESIS I

TRactabimus autem theses nostras ea methodo quae vulgaris est & trita satis, ita nimirum, ut quarumlibet harum Virtutum excutiamus & explicemus:
1. Nomen, 2. Objectum, 3. Officia, 4. Requisita, 5. Definitionem atque 6. Extrema. His absolutis & eo modo coordinatis, an necitemus *Questiones* nonnullas, & eas quidem, quae huic materiae propriae quasi sunt ac domesticae.

II.

Inter has Virtutes autem primas merito videtur, habere partes *Veracitas*, Graecis ἀλήθεια, cujus nomen varie accipi consuevit apud Philosophos. *Vel* n. sumitur I. *Transcendentaliter*, & pro incompleta veritate, quae necessarium omnium Entium adjunctum est: *vel* II. *Notionaliter*, pro complexa veritate, quae praedicatum cum subiecto in enunciatione vere connectitur: *vel* III. *Moraliter*, atque in hoc significato vicissim bifariam. Nam *alia est Veritas*, quae in pactis, contractibus & rebus ad iustitiam spectantibus observatur: *alia* vero, quae in cotidianis congressibus suum habet locum. Et haec ultima ea est, quam in hac disputatione attendimus, quae proprie vocari solet *Veracitas*, item *Integritas*, *candor*, *sinceritas*.

Quan-

Quamquam non adeò absurdum foret appellitare eam Veritatem ipsam: sed quia vox Veracitatis naturam hujus Virtutis magis exprimit: perspicuitatis quoque rationem habere volumus, quæ in primis est animadvertenda.

III.

Objectum Veracitatis, proprium est ἡ ἀληθὲς seu *Verum*. Et hoc quidem in sensu morali consideratum, pro eo scilicet, quod verum cordis consensum cum sermone pronunciat.

IV.

Requisita Veracis tria sunt, quæ apud Philosophum notantur lib. 4. c. 7. Eth. *Verax* enim 1. sit ἐπιεικὴς *justus* & *bonus* qui nullius quæstus vel turpis lucri causa, sed solo ductu & amore Veritatis, id quod verum ac justum, apertè loquitur. 2. ἀυθέκαστος ut verba respondeant factis per omnia. 3. ἐλαττωτικὸς ut ne sua deprædicet nimis, sed magis extenuet, id quod singularem præ se ferre solet modestiam.

V.

Inde nunc fluit *rei Definitio*, quæ talis: *Veracitas est moralis virtus, per quam illud quod aperte Veritatis est in omnibus rebus, solius Virtutis (veracitatis) amore candidè, simpliciter ac ingenuè affirmamus vel negamus.*

VI.

Hujus *Extremum in excessu* est *Arrogantia, seu Jactantia*, Græcis ἀλαζονεία, ubi ea nobis adscribimus, quæ vel planè non insunt nobis, vel non in ea præstantia, quæ ea jactitamus inesse.

VII.

Extremum in defectu est *Dissimulatio* quæ εἰρωνεία Græcis est, ubi nescire quasi volumus ea, quæ nobis insunt,



sunt, & negamus ea vel simpliciter, vel supra modum extenuamus.

VIII.

Utrumque Extremorum horum agnoscit *Mendacium*, ut genus aliquod commune, & oppositum generale, quando nimirum rem aliquam longè aliter ac in rei veritate sese ea habet, enarramus, ita, ut illud, quod in pectore ac mente volumus, occultemus, neque sermone neque ipsa re edicamus, sed vel aliquid superaddamus, vel aliquid detrahamus.

IX.

Aggredimur nunc alteram in ordine Virtutem *Homiliticam*, quæ in conversatione seria versatur, & *Comitas* dicitur seu *Affabilitas*, Latinis insuper *Humanitas*, *Popularitas*, *Facilitas*: Græci, quia destituuntur peculiari aliquo & commodo vocabulo, quo virtutem hanc eloqui dextrè valerent; propter adfinitatem & cognationem, quam nostra cum amicitia semper fovet, *Φιλίαν* appellitare solent. Ea tamen adhibita cautela, ut neutiquam duas hasce, ceu per omnia sibi conformes ac pares inter sese confundant ac commisceant. Siquidem quinque modis *hanc* differre ab *ista* novimus non incommodè. 1. *genere*. *Comitas* enim habitum dicit; amicitia verò mutuum tantùm affectum. 2. *Objecto*. *Comitas* spectat τὸ ἡδὴ jucundum in dictis & factis; amicitia verò honestum seu amabile in vita & moribus, Seneca teste. 3. *modo*. Amicitia dicit amorem reciprocum; *Comitas* non item. 4. *Proprietate*. *Comitatis* proprium est oblectare; amicitia verò mutuò amare. 5. *numero seu quantitate*. *Comitas* exerit sese erga Universos homines quàm notos quàm ignotos; amicitia circa notos tantùm, eosq; perpaucos,

Obje-

X.

Objectum sunt sermones & actiones in quotidiana conversatione oblectantes.

XI.

Requisita Viri comis quatuor deprehendimus notatidigna. 1. ita nos geramus in conversatione, ut eos, cum quibus conversabimur, invitemus quasi & ad amandum nos alliciamus, nullo autem modo ullam iis molestiam creemus, ne fortè fastidire nos habeant ansam. 2. ut nihil unquam approbemus abblandiendi animo, si quid contra Pietatem & bonos mores facere videbitur, sed potiùs in omnibus honestatem spectemus. 3. ut diligentissimè rationem habeamus circumstantiarum, quæ in personis, loco & tempore sunt. In omnibus enim, ut habet *Tullius* in II. de Orat. quid tempora petant, aut quid Personis dignum sit, semper considerandum est. 4. ut non ubique oblectemur, sed reprehensionem quandoque etiam, eam tamen placidam & modestissimam adhibeamus, in eo præsertim casu, ubi senserimus, admonitionem hanc amicam plus olim utilitatis & voluptatis, quàm jam habere videatur molestiæ, allaturam fore.

XII.

E dictis nunc talem ponimus definitionem: *Comitas est virtus moralis, quæ in conversatione seria circa honestam oblectationem mediocritatem justam tenet.*

XIII.

Virtutis hujus vitium in Excessu est *Assentatio* seu Blanditia, Græcis dicitur ἀρέσκεια: ubi omnia ad nutum laudamus, & posthabita honestate ac probitate, planè nulla in re contradicimus. Vitio huic valdè consimilis est *adulatio*. In eo tamen differt, quod adulator blandiatur com-



commodi ergò, eo deficiente, adulari amplius cessat: assentator verò nullius commodi ergò studet placere.

XIV.

Vitium autem in defectu Morositatem nominamus, δυσκολίαν, ubi omnibus molesti sumus, omniaq; facta & dicta carpimus & lancinamus. Utrumq; sanè vitium sat tetrum & magnum: deterior tamen assentatio est, quippe, quæ lædit occultius nocentiusq; indeque magis fugienda & detestanda.

XV.

Supereft jam Virtus tertia & ultima ex Homiliticis, quæ in conversatione jocosa versatur, & appellatur *Urbanitas*, Latinis etiam *festivitas* seu morum flexibilitas, Græcis est *εὐτραπελία*. Quanquam non ignoramus, quod vox hæc quandoque in malam partem pro opposito Virtutis seu scurrilitate accipiatur; Quia tamen apud Philosophos propriè & specialiter pro eo habitu morali ponitur, qui in jocis & salibus justum modum observat: meritò eam significationem & nos retinemus.

XVI.

Objectum Urbanitatis sunt ludi & joci, omniaq; delectabilia.

XVII.

Officia Urbanitatis in duobus sunt posita. 1. in jocis dicendis seu faciendis, iisque honestis, quod dicere possumus activum. 2. in jocis audiendis seu tolerandis, & iis iterum honestis ac probis, quod passivum appellamus.

XVIII.

Circumstantia verò multæ & variæ sese in hac virtute offerunt, quæ hoc loco pensandæ accuratè sunt, videlicet 1. Jocorum qualitas, ut ea scilicet dicamus ipsi vel audiamus etiam

etiam à cæteris, quæ honesta sunt, & ingenuum quemvis decent, 2. *modus*, ut nativi sint joci, proprii & sponte quasi oblatis, pariter nec inconcinni & leves; aliter enim omnem isti amittunt gratiam & perdunt. 3. *quantitas*, ut neq; nimij aut immoderati sint. Nam perpetuò risum quærere, pars turpitudinis à Philosopho putatur. 4. *Locus*, ne iis in locis ubi ad Numinis divini cultum & venerationem, honestatemq; similiter ac modestiam toti debemus esse compositi, indulgeamus jocis. Ejusmodi putamus esse loca sacra & publica, v. g. Templum, cœmiterium, curiam, collegium, Scholam &c. 5. *tempus*. Satis enim ineptus esset ac intempestivus ille, qui vel inter luctum & calamitatem publicam jocari temerè auderet. Omnino enim meminerimus illud *Eccles. c. 3.* omnia suum habere tempus, tempus esse flendi, ridendi, plangendi atq; saltandi. 6. *Personæ*. Diligens enim in jocando habenda est ratio personarum. Omnes eas dictas circumstantias in compendium quasi contraxisse videtur *Orator ad Brut.* *Non omnis, inquit, fortuna, non omnis honos, non omnis autoritas, non omnis ætas, nec verò locus aut tempus, aut auditor omnis eodem aut verborum genere tractandus est, aut sententiarum: semperq; in omni parte orationis, ut vite quid decet, est considerandum: quod & in re de qua agitur, positum est, & in personis eorum qui dicunt, & eorum qui audiunt.* 7. *causa finalis*, quæ est honesta animi relaxatio, & socij suavis oblectatio.

XIX.

Inde talis pronascitur Definitio: *Urbanitas est Virtus, qua in proferendis & audiendis jocis decenter justum modum observamus.*

XX.

Extremum Virtutis hujus prius seu in Excessu dicimus

B

Latine



Latinè *Scurrilitatem*, Græcè *βωμολογίαν*, quando in ludendo & jocando modum decorumq; excedimus, non habita ratione honestatis, personarum aliarumque circumstantiarum.

XXI.

Posterius *extremum in defectu Rusticitas* dicitur, Græcè *αἰρομία*, quando neq; nos ipsi jocos commodè proferre, neque aliorum jocos audire æquo animo possumus.

QUESTIONES.

1. *An Virtutes Homilitica in virtutum numero sint habenda? Aff.*
2. *An Comitas sit virtus? Aff.*
3. *An Comitas versetur circa voluptates & dolores? Aff.*
4. *An Comitas cum gravitate consistere possit? Aff.*
5. *An iis, qui in conversatione cum aliis possunt se accommodare locis, temporibus & personis politici rectè dicuntur? Neg.*
6. *Utrum liceat conversari cum infidelibus aut hereticis? Dist.*
7. *Utrum fidelis infidelium aut hereticorum sc. crisis licite interesse possit? Dist.*
8. *An virtus illa moralis, que in vita verum observet, rectiùs dicatur veracitas, quàm veritas? Aff.*
9. *An deceat virum probum simulare aut dissimulare? Dist.*
10. *An vir bonus teneatur verum dicere, & quidem universum, quod noverit? Dist.*
11. *An omne mendacium sit prohibitum? Dist.*
12. *Utrum mendacium officiosum & jocosum proprie ac verè dicatur mendacium, ac proinde sit prohibitum? Neg.*
13. *An quivis teneatur testimonium dicere eorum, que à judice interrogantur? Aff.*

14. *Au:*

14. An mendacium consistat non tantum in verbis, sed etiam in factis? Aff.
15. Num iis, qui in locis falsæ religioni deditis versantur, liceat quandoq; religionem suam dissimulare, non tantum abstinendo à verbis seu factis illam significantibus, sed etiam usurpando simulate verba vel facta, contrariam religionem significantia? Neg.
16. An viro bono liceat hyperbolicè, ironicè, parabolicè & fabulosè loqui? Dist.
17. An viro bono liceat fallere & decipere alios? Neg.
18. An aliud, sit falsum dicere, aliud mentiri? Aff.
19. An falsum quandoq; dicat, qui se verum dicere putet? Aff.
20. An liceat nomina mutare?
21. An Viro bono liceat dicere & audire jocos? Dist.
22. An in ludis & jociis consistat aliqua virtus? Aff.
23. An objiciendo vitia nationum quis jocari possit? Neg.
24. An ludi Scenici, quales sunt Comœdia & Tragedia, in bene constituta Republ. sint ferendi? Aff.
25. An Larvarum usus sit licitus? Dist.
26. An Magnatibus expediat habere moriones? Neg.
27. An omnia convivium sint simpliciter prohibenda? N.
28. An in Conviviis sit disputandum? Dist.
29. An Viro bono licitum sit ridere? Dist.

F I N I S.


D. G.



Ad. Dn. Resp. amicum dilectum

Plus moro est scire bonos, quam totius orbis
Immensas artes corde fovere suo.
Hinc quoque posterior *Praxi sapientia*: verum
Practica præ reliquis prima *sophia* tenet.
Ut tu possideas quondam meditaris, utrumque,
Et docti, atque boni præmia pulchra viri.
Præsens declarat specimen, quod publicus offers,
Leucoridos eathedræ, Philosophique gregi.
Janua non est clausa tibi: depone querelas,
Quod non prima potest, hora secunda feret.

M. Michael Wendlerus.



*C*onjugium pulchrum, *conjugere moribus artes,*
Ceu gemmis aurum, ceu violisq, rosas.
Condecorant aurum gemma, jucundus odorg,
Est viola picta cui rosa mixta magis.
Artibus ad socias mores, & moribus artes,
Conjugij rari fœdera docta subis.
Conjugium ex animo sit felix comprecor, aurum
Sic cumulas gemmis, sic violisq, rosas.

Contubernali suo honorando

fac.

Johannes Dürrius Dresdâ-Misnicus
Alum: Elect.

05 A 2358

ULB Halle 3
003 784 177




55 → TA

VD 77







Exercitatio Moralis ² *rog.*
De
VIRTUTIBUS
HOMILITICIS.


Quam
DIVINO AUSPICIO

In
Almâ Wittebergensium Academia
PRÆSIDE

WILHELMO NIGRINO
Moralium Professore Publico.

Publica disquisitioni subjicit
LEONHARDUS EMERICUS
Dresda - Misnicus.

Habebitur ad diem 16. Martij Horis Antemeridianis
In Atrio Collegii Veteris.



WITTEBERGÆ

Ex Officinâ Typogr. JOHANNIS RÖHNERI,
ANNO MDCXXXVI.

